UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiæ Moralis Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros partitum

Laymann, Paul

Moguntiæ

6. Simulatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

Visual Library

4 In dubio, vtrum metus grauis in matrimonij contractu interuenerit pro parte negatiua, adeoque pro valore matrimonij iudicari debet, eadẽque ratio eſt de religionis profeſſione: Ratio, quia licet maximopere curandum ſit, vt matrimonium in perpetua coniunctione conſiſtens libera voluntate contrahatur, ideoque ſponſalia ſi quocumque etiam leuiore metu per vim extrinſecus iniuſte incuſſo celebrata ſint; facilè diſſolui poſſint, ſeu propria metum patientis oppoſita exceptione, ſeu iudicis implorata authoritate poſtquã tamen ſemel matrimonium contractum eſt, potius eſt, vt validum, quàm vt inualidum iudicetur, cum matrimonii cauſa fauorabilis ſit, idque partim propter reuerentiam ſacramenti, partim quia Reip. & prolis educandæ intereſt, vt matrimonia non ſoluantur niſi eorum infirmitas, ſeu impedimentum dirimens appareat.

Cæterum ſi matrimonium graue metu cogente contrahatur inter infideles, qui neque cæſareis legibus ſubiecti ſint, validum cenſeri debet; quippe cum conſenſus metum patientis, licet in voluntarium mixtum habeat, abſolutè tamen voluntarius & liber ſit, ſicut dixi lib. 1. Tract. 1. ca. 6. n. 7.

Cap. VI.

De matrimonio ſimulato.

1 SI vnus contrahentium animum ſimulatum habeat omni iure irritum eſt matrimonium, quia ſine vero conſenſu non ſubſiſtit contractus matri-

matrimonij, ſimulatus autem conſenſus non eſt verus conſenſus. Ergo. Verum deceptor (ſacrilegus) grauiter contra reuerentiam ſacramenti peccans & iniuriam inferens damnum iniuſtè illatum compenſare debet, deponendo animum ſimulatum & verè conſentiendo.

Quibuſdam caſibus verò deceptor non obli- 2
gatur ad verum matrimonium contrahendum, ſed aliam puellæ compenſationem facere poteſt. Primò, ſi decepta pro virgine ſe falsò iactauit: nã deceptio deceptione tollitur. Secundo ſi ex tali matrimonio infelices exitus timeantur. Tertiò ſi deceptor aliud poſtea matrimonium vero conſenſu contraxit.

Coniugi affirmanti, quamuis iurato ſe fictè cõ- 3
traxiſſe, fides habenda non eſt. donec clarè id demonſtret, quia præſumi debet idem fuiſſe in corde, quod fuit in ore iuxta L. labio ff. de ſupellectile legata, ibi *non arbitror, quenquam dicere, quod non* . Alia verò ratio eſt in foro pœnitentiæ. Eſt enim diſcrimen hoc. *In foro iudiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe ſimpliciter aſſerenti*: In foro autem pœnitentiæ creditur homini pro ſe & contra ſe.

Cap. VII.

De matrimonio Conditionali.

Matrimonium contractum ſub conditione 1
relata in præſens, vel præteritum V. C. contraho tecum, ſi filia Titij es, ſi virgo es, ſi pater mortuus eſt, ſtatim valet, ſi conditio vera eſt, &